DE DEO THESES QUAS D. MICHAEL SCHMIDBAVER E COLLEGIO GERMANICO...

Michael Schmidbauer



10

DE DEO

THESES

QVAS

D. MICHAEL SCHMIDBAVER

E COLLEGIO GERMANICO HVNGARICO

IN AVLA MAXIMA

COLLEGII ROMANI

SOCIETATIS IESV

PROPVGNABIT

V. KALENDAS SEPTEMBRIS ANNO MDCCCLXII.

IMPRIMATVR
Fr. Hieronymus Gigli O. P.
S. P. A. Mag.

IMPRIMATVR
Fr. A. Ligi-Bussi Archiep. Icon.
Vicesgerens.

DE DEO VNO



PROLEGOMENON DE THEOLOGIAE OBIECTO MATERIALI ET FORMALI

I

Theologia, nominis significatione latiori in usum communem iam recepta, subiectum circa quod versatur, et obiectum princeps Deum habet, obiectum vero secundarium veritates alias quatenus in ordine ad Deum considerantur; significatione tamen pressiori apud vetustos Patres potissimum graecos frequentata, Deus sive secundum naturam, sive secundum personas spectatus non modo primum sed juxta vocabuli etymon unicum est Theologiæ obiectum.

II

Ratio formalis sub qua veritas obiectum theologiae fidei constituitur, divina est revelatio tamquam obiectivum principium cognitionis, vel immediatum, vel mediatum ac per deductionem, qua re theologia fidei ab ea, quae naturalis dici solet, essentialiter et secundum speciem scientiae differre intelligitur.

III

Haec tamen theologiae ratio non impedit, quominus ea et scientia sit et scientia humanarum disciplinarum nominatimque philosophiae sensu negativo et quadamtenus etiam sensu positivo norma ac moderatrix, non quidem ratione formae scientificae, ut per se patet, sed ratione principiorum suorum obiectique formalis. Facta igitur distinctione inter theologiam per se et obiective spectatam prout est theologia Ecclesiae, et inter systemata theologica privatorum Doctorum, lis nuper excitata de veterum non modo Scholasticorum sed etiam Patrum sententia, « philosophiam esse ancillam theologiae », sola definitione status quaestionis inter catholicos amice componi posse videtur.



DE DEO VNO SECVNDVM NATVRAM

DE DEI EXISTENTIA

IV

Licet theologia fidei cognitionem existentiae Dei naturalem praesupponat, sicut ordo supernaturalis elevationis generatim supponit ordinem naturalem elevandum, non tamen a theologia alienum est instituere examen ipsius naturalis cognitionis cognitionisque modi.

V

Revelatio supernaturalis in Sacris Scripturis consignata perspicue docet, spectabili hoc universo secundum triplicem eius ordinum *physicum*, *historicum*, *ethicum* contineri Dei manifestationem naturalem congenito humanae rationis lumini aptatam, ut hominibus ratione utentibus et facultas sit et, si alia desint praesidia, officium ex ea cognoscendi verum Deum, personalem, ab hoc universo distinctum, a creatura rationali supremo cultu honorandum.

VI

Facultatem cognoscendi existentiam Dei ex creaturis Scripturae ita asserunt, ut revelationem positivam traditione propagatam nullatenus supponant tamquam conditionem sine qua non possit ratio humana ad eam cognitionem pervenire; nec recognitionem tantummodo veritatis fide creditae, sed cognitionem Scripturae docent existentis Dei ex creaturis, quam christianae doctrinae inimicam et erroribus e philosophia *inquisitiva* gentilium derivatis accensendam esse perperam nonnulli arbitrantur.

VII

Doctrinam in Scripturis traditam de Dei existentia lumine rationis insito cognoscenda Patres Doctoresque christiani inde a primordiis Ecclesiae consensione maxima excoluerunt; ex monumentis enim quae supersunt omnino constat, hanc omnibus aetatibus et in omnibus Ecclesiis Doctorum fuisse persuasionem: I. spectabili hoc universo contineri Dei existentis manifestationem ad rationem humanam; II. hanc Dei manifestationem rationisque vim insitam ita esse comparatam, ut in omnium animis, qui rationis functiones non oppresserunt, cognitio aliqua saltem confusa Dei ex ipsa obvia universi consideratione citra aliam de Deo institutionem ac disciplinam velut sponte sua oriatur: III. ad hanc primitivam cognitionem ex ipsa universi consideratione excolendam, ut plenior evadat et distinctior, tum obiective splendorem in creaturis tum subiective vires rationis non deesse.

VIII

Falsa est suppositio anonymi cuiusdam, qui sophistica argumentatione evincere conatur, in hisce thesibus a nobis propositis sermonem esse de modo, quo homo ad usum rationis perveniat, et ad Scripturae ac Patrum testimonia ap-

pellari, ut rationi humanae ad sui explicationem nulla institutione nullaque disciplina opus esse persuadeamus. At quaestionem psychologicam, quomodo et sub quibus conditionibus necessario suppositis homo ad usum rationis normalem et satis explicitum perveniat, putavimus a tractatu theologico de Deo alienam esse et scholae philosophiae relinquendam; quamvis nobis videantur inepti disputatores, qui quid ratio ad cognoscendum Deum per se valeat aut non valeat, non alibi melius, quam in statu abnormi et fere in monstris extorribus a societate humanae naturae congrua, inveniri posse comminiscuntur.

IX

Quod SS. Patres Iustinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Anthiochenus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origines, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus et Gregorius Nyssenus cognitionem Dei naturae insitam, anticipationem omnium hominum qui ratione utuntur, animae dotem a primordio, cognitionem ex congenita naturae lege et cognitionem ex ipsius animae impulsu appellaverunt; id inspectis ipsis Patrum contextibus ita intelligendum esse affirmamus, ut cognitionem Dei ex consideratione creaturarum insito rationis lumini obviam Patres distinguant a cognitione per institutionem ac disciplinam acquisita vel generatim a cognitione excultiori, non vero ita ut ideam Dei nobis concreatam esse doceant eamque opponant cognitioni simpliciter acquisitae.

X

Praeter manifestationem Dei in operibus naturae alia est factis supernaturalibus comprehensa. Supernaturalium enim factorum complexus, ut aspectabilis ordo historicus et *novum quoddam universum,* Dei existentiam et perfectiones

multiplices splendidissime manifestat, quatenus imprimis ratio ipsa et factorum existentiam et eorundem cum existentia Dei Deique perfectionum necessarium nexum certo assequi potest.

XI

Dei existentia non solum lumine rationis cognoscitur, sed etiam revelato verbo Dei promulgata est; quare eadem sicut sub una ratione est praeambulum fidei, ita sub alia ratione est veritas fidei credenda propter auctoritatem Dei revelantis. Quin in hac quaestione ad auctoritatem appellemus Divi Thomae, cuius sententia a diversis modo diverso explicatur, defendimus ex aliis rationibus, huius fidei actum nec evidentia cognitionis rationalis impediri nec antecessione cognitionis Dei revelatoris, quae ad omnem formalem actum fidei natura prior et fundamenti instar supponatur.



DE MODO NOSTRAE COGNITIONIS, QVID DEVS SIT

XII

Sicut capitalis error Eunomianorum saec. IV. et V. in eo erat, quod Dei essentiam et *quid Deus sit*, a se perfecte comprehendi iactarent; eo tamen ipso divinam naturam ideis non aliunde derivatis et analogicis, sed immediatis et propriis, ut in se est, intelligi supponebant; ita defensores catholici dogmatis in tota hac controversia non solum Deum a nobis comprehendi negabant, sed ad dogmatis explicationem fundamenti instar constanter etiam tuebantur, divinam naturam non videri a nobis mentis intuitu in se ipsa, sed ideis, quas immediate formamus ex praecognitis perfectionibus creaturarum, et propterea analogicis cognosci, *quid sit*; idque non solum de cognitione mere rationali, sed etiam de cognitione, quam ex revelatione hausimus, affirmandum esse.

XIII

In neganda igitur intuitione et idea Dei immediata, quamdiu in hac vita degimus, et in affirmanda origine huius ideae ex notionibus perfectionum, quas in creaturarum consideratione efformamus, Patres illi, qui adversus Eunomianos pugnaverunt, in eandem consentiunt doctrinam, quam S. Thomas post ipsos distinctius expressit confirmavitque.

XIV

Licet sensu verissimo ad Scripturarum doctrinam exacto SS. Patres et Theologi docere soleant, ratione et fide cognosci quidem *Deum esse;* non tamen cognosci *quid Deus est:* constat nihilominus ex fontibus iisdem, quadamtenus etiam *quid sit Deus* a nobis cognosci notionibus tum *affirmantibus*, tum *negantibus*, tum iis quae *secundum excessum* appellantur.

XV

Triplex autem hic cognoscendi modus ex eo ipso consequitur, quod Deum non immediata intuitione, sed ideis ex creaturarum praecognitione formatis intelligimus, eiusque est indolis, ut cognitio per affirmationem, per negationem et per excessum non una ab altera seorsum consistat, sed una alteram implicitam habeat et ex omnibus una compleatur Dei cognitio.

XVI

Ex dictis consequitur, *a)* notionibus multiplicibus nobis opus esse, ut Deum, quid sit, quadamtenus intelligamus; *b)* licet, quod harum omnium notionum obiectum est, unum sit in se simplicissimum, non tamen notionibus omnibus respondet secundum eamdem rationem; sunt ergo illae inter se diversae, et vocabula, quibus earum obiectum significatur, non sunt

omnia synonyma: inde tamen *c*) non est consequens, cognitionem nostram esse falsam, neque est consequens, obiectum harum notionum non esse in Deo sed in creaturis; cognitio enim vera est licet imperfecta, obiectum in Deo et Deus est, licet perfectius, quam notione exhibeatur.



DE ESSENTIA ATTRIBVTISQVE DIVINIS VNIVERSIM

XVII

Quamvis absolutae perfectiones divinae realiter distinctae non sint, nec proinde una aliis prior caeterarumque fundamentum in re ipsa intelligi possit, distinctio tamen rationis ex imperfecto nostro concipiendi modo consequens satis est, ut Essentiam et Essentiae proprietates distinguamus. Hac autem distinctione posita Essentiam in eo collocandam esse defendimus, quod Deus est ipsum *esse* a se.

XVIII

Attributa porro divina non ex grammatica nominum forma sed ex ratione intrinseca perfectionum, ut a nobis cognoscuntur, iure a PP. et Scholasticis distribui tuemur in perfectiones, quae per negationes, et alias quae per affirmationes significantur.

XIX

Nomen *qui est* ὁ ὤν Deus ipse tamquam sibi proprium revelavit, quod *a*) est nomen absolutum immediate designans ipsam in se divinam substantiam non vero efficientiam et relationem specialem Dei ad populum Israel, ut quibusdam eruditis placuit, quamvis Deus specialem relationem in huius nominis manifestatione et sub hoc nomine inierit; significatione

enim formali *b*) designat Esse aeternum et immutabile, quod sine principio ex absoluta intrinseca necessitate est; quodque *c*) in Scripturis ipsis declaratur tamquam *Esse* absolutum absolutaeque perfectionis plenitudo.

XX

Doctrinam, quam hucusque in Scripturis expressam esse demonstravimus, SS. Patres multipliciter illustrarunt; consensione enim maxima nos docent *a*) ipso nomine Dei « *Qui est* » (Exod. III. 14.) revelatum censeri debere *Esse* divinum aeternum eiusque intrinsecam existendi necessitatem; *b*) hoc divinum *Esse* ideo absolutum et *Esse* simpliciter credi ac dici oportere, quia eo comprehenditur, seu potius est ipsum omnis absoluta perfectio; unde *c*) divinum *Esse* transcendentali discrimine diversum demonstrari a ratione entis, quod extra Deum esse vel concipi potest.

XXI

Ex demonstrata propria ratione absolutae essentiae, quae Deus est, deducitur errare sine dubio, qui docent ideam entis, sub qua intelligimus quidquid concipimus, esse ideam Dei, atque adeo ens, quod illius ideae obiectum est, esse Deum licet solum directe et nondum reflexe cognitum. Pariterque errant, qui ad quaestionem, utrum plus entis sit posita creatione quam ante creationem, affirmando aut negando respondendum esse putant, ac si *Esse* divinum et *esse* creatum non tantum analogam cognominationem sed etiam univocam connumerationem admitteret.

XXII

Ex demonstrata absolutae perfectionis plenitudine porro consequitur ea divinae essentiae unitas, ut huius multiplicatio et Deorum numerus nec mente concipi possit, quin eiusdem divinae essentiae notio penitus subvertatur; merito proinde Patres polytheismum dixerunt esse atheismum.

XXIII

Cum eadem absolutae perfectionis plenitudine essentialiter una proxime nectitur, quod Deus est *verum* infinitum et infinita subsistens *veritas*, fons, origo, et mensura omnis veritatis non solum in ordine existentium sed etiam in ordine ideali essentiarum.

XXIV

Consequenter Deus est per suam essentiam *bonum* absolutum, ut bonitas infinita *perfectionis*, *sanctitatis* et *beatitudinis in se ipso*; et est summum bonum creaturae universae potissimum vero intellectuali ut caussa *exemplaris*, *efficiens* et *finalis* omnis boni participati, ac quodammodo ut bonum intellectualis creaturae *formale* in ordine unionis hypostaticae, visionis beatificae et sanctificationis per gratiam.

XXV

Absolutum verum et absolutum bonum in unitate infinitae perfectionis est ipsa intellectualis *pulchritudo* absoluta, exemplar et fons omnis pulchritudinis et omnis harmoniae sensibilis et intellectualis in quovis ordine naturae, gratiae, et gloriae.

XXVI

Postremo ex demonstrata absoluta perfectione divinae essentiae, aeque ac unitas Dei sita in repugnantia multiplicationis naturae, consequitur propriisque argumentis consequi demonstratur ea unitas, quae est absoluta simplicitas citra quamvis in Deo ipso ut in se est compositionem.

XXVII

Sicut compositio quaevis sive physica sive metaphysica, ex materia et forma substantiali, ex partibus integrantibus, ex substantia et accidentibus, ex esse et essentia, ex natura et hypostasi, et postremo ex genere et differentia, in creaturis est tum consectarium tum evidens indicium limitationis et contingentiae; ita omnimoda Dei simplicitas in Scripturis et a SS. Patribus multipliciter proposita intelligitur ultimatim coincidere cum ipsius *Esse* absoluti et necessarii perfectione, qua Deus est *actus purissimus*.

XXVIII

Sicut ex superioribus absoluti *Esse* plenitudo quadam veluti analysi intelligitur ut una absoluta veritas, bonitas, pulchritudo atque simplicitate omnimoda ut purissimus actus vitae, intellectionis et amoris; ita synthetico quodammodo praecedentium complexu Deus demonstratur esse infinitus *Spiritus*. Quando igitur in Scripturis « Deus Spiritus esse » dicitur, id sensu maxime proprio intelligi debet; quod insuper manifestum est ex contextu nominatim Ioan. IV. 24. et ex relationibus, sub quibus spiritus creati ac dona spiritualia ad *Deum Spiritum* in sacris libris exhibentur.

XXIX

Vita Spiritus absoluti in perfectione actus purissimi quatenus permanens, divina est aeternitas opposita successioni, quae sive realis est sive possibilis in perfectione cuiusvis existentiae finitae.

XXX

Porro sicut aeternitas negat limitationem, ex qua pendet tempus, ita immensitas excludit imperfectionem, ex qua sequitur terminatio in loco vel spatio. Est enim immensitas divinae essentiae eminentia in seipsa super omnem spatii et loci rationem in ea perfectione absolutae existentiae, vi cuius creatura in loco vel spatio in indefinitum possibilis nulla actu esse potest, quin Deus per simplicissimam *essentiam*, *praesentiam* et *potentiam* ei intime adsit, eamque totam sibi praesentem contineat.

XXXI

Hanc perfectionem utramque aeternitatis et immensitatis Deo essentialem esse tum ex antecedentibus consequitur, tum propriis argumentis demonstratur.

XXXII

Praesentiam et comprehensionem temporum et temporalium omnium in mensura divinae aeternitatis ex rerum naturis rite perspectis et ex communi SS. Patrum doctrina non aliter intelligendam esse defendimus, nisi quod mutabilia omnia pendent ab immutabili, eademque secundum *esse in actuali existentia coexistunt*, *quamdiu existunt*, uni immutabiliter existenti *Esse* divino, secundum *esse* vero *cognoscibile* pro triplici sua conditione praesentis, praeteriti et futuri immutabili Dei *scientiae ab aeterno obiective praesentia sunt.*



XXXIII

Quoniam Deus Spiritus est infinitus et simplicissimus, ideo est absolutus actus intellectualis. Quare sicut Deus secundum plenitudinem perfectionis est verum absolutum infinite cognoscibile, ita secundum quod est actus intellectualis est suae infinitae essentiae perfecta comprehensio substantialis.

XXXIV

Divina essentia ut infinitum verum et primum intelligibile, a quo nullum verum independens esse potest, ut idea exemplaris (sive in actu primo et necessario omnium possibilium, sive in actu secundo et non necessario omnium aliquando existentium), ut repraesentatio denique infinita omnis veri, obiective exhibet divino intellectui quidquid habet rationem veri. Divina igitur intellectio infinita per ipsam essentiam necessario determinata est ad comprehensionem omnis veri.

XXXV

Ex ratione, qua intellectionem Dei ad essentiam divinam et per essentiam ad cetera omnia se habere demonstratur, sponte consequitur, essentiam divinam esse et merito a theologis dici obiectum princeps et formale, reliqua autem vera universa obiectum esse secundarium divinae cognitionis.

XXXVI

Quamvis Deus obiecta secundaria scientiae suae non cognoscat in ipsis tamquam in causa determinante et perficiente scientiam, cognoscit tamen ea non solum ut sunt eminenter in divina essentia, sed etiam ut formaliter in seipsis sunt vel esse possunt.



DE SCIENTIA DIVINA CONSIDERATA SECVNDVM DIVERSA SVA OBIECTA

XXXVII

Quamvis scientia Dei in se unus sit simplicissimus actus substantialis, ex diversa tamen ratione obiectorum quae eidem subsunt, caussa repetitur, cur iuxta solemnes partitiones merito distinguatur *scientia simplicis intelligentiae*, *visionis*, et *media inter utramque; scientia necessaria absolute*, et *necessaria solum ex hypothesi; scientia sistens in cognoscendo*, et *scientia pertinens ad efficiendum (speculativa* et *practica)*; *scientia approbationis*, et *improbationis*, quae postrema non sine caussa in scripturis etiam ignoratio solet appellari.

XXXVIII

Obiectum adaequatum scientiae simplicis intelligentiae, quae simul est scientia absolute necessaria, sunt omnia possibilia secundum formalem possibilitatis obiectivae rationem; ad obiectum autem secundarium scientiae visionis eiusdemque necessariae solum ex hypothesi pertinent imprimis omnia, quae Deo operante vel se solo vel etiam per caussas secundas independenter a liberis actibus voluntatis creatae aliquando realiter existunt.

XXXIX

Scientia visionis Deus in sua aeternitate etiam intuetur actus omnes liberos creaturarum pro quavis temporis differentia existentes. Horum tamen existentia a scientia visionis tamquam a caussa non pendet, sed immo libera creatae voluntatis determinatio in tempore est conditio, sine qua illi actus utpote mere possibiles vel solum sub alia hypothesi futuri non scientiae visionis sed simplicis intelligentiae vel mediae obiectum forent.

XL

Quamvis aliqua decreta (voluntates effectrices) ad constituendum actum primum caussae secundae necessaria praesupponi debeant, ut futura libera possint esse futura, et quamvis in Deo aeterna sit voluntas creaturae in actu secundo sese determinanti adiutorium vel concursum exhibendi: non potest tamen sive ex illis decretis, quae admittimus, sive ex praefinitionibus absolute antecedentibus omnem praescientiam liberi consensus, quas vel nullas esse, vel certe non ad omnes actus liberos pertinere putamus, propria universalisque repeti ratio, cur actus futuri liberi aeternae praescientiae obiectum constituantur, potest autem haec ratio inde repeti, quod ad hunc potius quam ad alium actum creaturam sese in tempore determinare ab aeterno verum est.

XLI

Post declaratam rationem praescientiae Dei facile demonstratur, infallibilem praevisionem divinam non magis officere libertati actuum humanorum, quam necessitatem consequentem, qua dum agimus non possumus simul non agere.

XLII

Ex Scripturarum auctoritate, Patrum suffragio, et universali quadam christiana persuasione indubitatum est, ad obiectum infallibilis scientiae Dei pertinere actus, ad quos creata voluntas sub conditionibus actum primum constituentibus et cum actu secundo ex sese et suapte indole non infallibiliter nexis se ipsam libere determinatura esset, si conditiones illae reapse ponerentur. Cuius quidem scientiae obiectum cum nec mera sit existentiae possibilitas, nec existentia quatenus aliquando actu est, sed existentia quatenus sub conditione actu esset; ea non immerito nomine *scientiae mediae* a scientia simplicis intelligentiae et a scientia visionis distingui potest.



XLIII

Licet divina voluntas in se unus sit actus simplicissimus, est tamen cur eam consideratione et ratione multipliciter distinguamus. Maxime necessariae a SS. Patribus et theologis usurpatae distinctiones sunt, in voluntatem *antecedentem* et *consequentem*, in voluntatem *actu efficientem* suum terminum, et voluntatem, quae fertur in suum terminum *sub conditione* pendente etiam a libera creaturae cooperatione, in voluntatem spectatam *secundum totam amplitudinem* auxiliorum, quae sunt in potestate omnipotentis, et voluntatem spectatam *secundum auxilia, quae actu confert*, in voluntatem denique *praecipientem*, ac *praecipientem simul* et *sancientem* legem.

XLIV

Hisce distinctionibus positis, facile patet, quo sensu Patres et S. Augustinus nominatim hinc quidem doceant, voluntati Dei neminem resistere aut resistere posse, nihil esse quod Deus fieri voluerit et factum non sit, voluntatem Dei esse semper invictam, inde vero consentiant, homines frequenter facere contra voluntatem Dei, et multa fieri quae Deus fieri non vult, et voluntatem Dei non semper impleri.

XLV

Voluntate antecedente Deum in hoc ordine generis humani lapsi et reparati non eorum modo qui salvantur, sed aliorum etiam velle aeternam salutem, immo voluntatem eam salutiferam ad omnes omnino homines protendi, qui rationis usum adepti sunt, ex sacrarum Scripturarum doctrina demonstratur.

XLVI

Pariter SS. Patres docent unanimes, voluntate antecedente velle Deum omnes salvos fieri, nec aliam eius esse voluntatem negandi aeternam salutem et damnandi nisi consequentem conceptam ex iustitia propter peccata, quae numquam expiata divinae praescientiae obversantur.

XLVII

Ad Augustinum quod spectat, testimoniis constat minime ambiguis, eum etiam post cognitam iam Pelagianam haeresim cum ceteris Patribus docuisse voluntatem Dei salvificam antecedentem plane universalem esse.

XLVIII

Quoties Augustinus in suis libris adversus Pelagianos et Semipelagianos textum apostolicum 1. Tim. II. 4. de voluntate salvifica particulari interpretatur, et ex eo testimonio consequi negat, voluntatem, quae ipsi in disputationibus polemicis obversatur, esse universalem, toties S. Doctor *a*) intelligit voluntatem actu effectricem salutis aut voluntatem absolutam non vero antecedentem et conditionatam; *b*) non asserit hunc esse sensum loci apostolici aut immediatum aut exclusivum ita, ut de voluntate salvifica antecedente et universali, de qua ipse alibi eundem locum interpretatus est, intelligi non possit ac debeat; *c*) ad valorem interpretationis de voluntate actu effectrice et absoluta quod pertinet, hic sensus licet mediatus et per modum consequentis revera subest verbis Pauli et sensui immediato superadditus pleniorem rei, de qua loquitur Apostolus, suppeditat intelligentiam.

XLIX

Antecedentem voluntatem, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, non solum ad adultos adiutorii gratiae capaces, sed etiam ad omnes « paucorum dierum homines » licet non secundum eamdem rationem pertinere affirmandum est. Qui ergo ex illis morte praeripiuntur baptismo, non antecedente, sed consequente voluntate ab aeterna beatitudine excludi existimandi sunt.



DE VOLVNTATE SALVIFICA CONSEQVENTE SEV DE PRAEDESTINATIONE AD SALVTEM AETERNAM

L

Ex praestitutis consequitur, plane impiam esse haereticorum, qui *antelapsarii* dici solent, doctrinam statuentium, Deum antecedenter ad omnem mali meriti etiam ipsius peccati originalis praevisionem decreto absoluto homines, qui pereunt, ad aeternum exitium destinasse, ut suam in eorum damnatione iustitiam glorificet.

LI

Ex claris et repetitis Calvini assertionibus indubitatum est, eum in hac *antelapsariorum* impietate fuisse; immerito igitur plures e Protestantibus scriptores catholicos in calumniae crimen vocarunt, et perperam Catholici nonnulli doctrinam Calvini intellexerunt, qui illum ab hac haeresi immunem fuisse putarunt eo, quod subinde causam damnationis in ipsis hominibus pereuntibus constituere videtur.

LII

Doctrina Novatorum de absoluto et antecedente reprobationis decreto, simul spectata huius decreti executione, manifesto est haeretica, etiamsi ea accipiatur, ut a Protestantibus *infralapsariis* nominatimque a calviniana synodo Dordracena et a Iansenianis est emollita.

LIII

Cum demonstrata voluntate Dei, ut omnes homines salvi fiant et nullus eorum pereat, neque satis conciliari posse videtur reprobatio negativa a vita aeterna, eo modo intellecta, quo eam plures theologi catholici voluntati Dei antecedenti adscribendam esse censuerunt.

LIV

Sicut voluntatis salvificae consilium, quo Deus supernaturalia beneficia vocationis, iustificationis, glorificationis effectu ipso conferre statuit in praescientia aeterna, dicitur in scripturis et a SS. Patribus nominatim a S. Augustino praedestinatio, propositum, electio; ita qui ea beneficia consequuntur, in scripturis praedestinati, electi, salvati appellantur. Quare haec nomina bisque gemina non uno semper sed pro beneficiorum, ad quae referuntur, ratione sensu nunc pleniore nunc minus pleno intelligenda esse constat.

LV

De habitu ac ordine, quo dona Dei sese excipiant in praeparatione ac praedestinatione, ex Patrum doctrina universim statui potest, ita se habere ad meritum praevisum beneficia Dei in praedestinatione ut ad meritum acquisitum se habent eadem beneficia in collatione et ipsa jam donatio-

ne. Quae ergo dona Dei in tempore conferuntur mere gratuito, eadem ratione ab aeterno praedestinantur; quae vero in executione retribuuntur meritis praecedentibus, ea etiam in aeterna praedestinatione non decernuntur conferenda nisi ex meritis praevisis, ita ut prae hac ad causam meritoriam habitudine a gravibus theologis iure doceatur, ordinem praedestinationis eundem esse qui est ordo executionis.

LVI

Cum « Deus praedestinavit sanctos suos et ad gratiam vitae bonae et ad gratiam vitae aeternae » (1), praedestinatio inadaequate spectata prae priori suo termino, qui est gratia vitae bonae, dicenda est praedestinandorum merita praevertere et esse gratuita ea ratione, qua gratiam ipsam gratis conferri non meritis reddi confitemur. Hoc igitur sensu praedicatio gratuitae praedestinationis et doctrina catholica de gratuita gratia cohaerent ita, ut negata una etiam altera subvertatur, « aut enim praedestinatio praedicanda est, quemadmodum eam S. Scriptura evidenter loquitur, aut gratiam Dei secundum merita nostra dari confitendum, quod sapiunt Pelagiani » (2).

LVII

Quapropter etiam repugnat ut praedestinatio considerata complete prae tota effectuum serie sit ex praevisione meriti praedestinatorum, quod nisi praevertens gratiam ac naturale esse non posset. Certum est igitur ac ratum, quod ait Angelicus Doctor: « impossibile est, quod totus praedestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra » (3).

(1) S. Fulgent. de veritat. praedest. l. III. c. 5.
(2) S. August. de dono persev. c. 16. n. 41.
(3) S. Thomas 1. q. 23. a. 5.

LVIII

Si vero *praedestinatio* adultorum *ad gloriam* per sese et seorsum spectetur, ex Scripturis colligitur et ex eorum Patrum, qui de hac praedestinatione ad gloriam expressius locuti sunt, diserta doctrina persuadetur, eam non voluntati Dei *antecedenti* sed voluntati *consequenti* praevisionem meritorum supernaturalium tribui oportere.

LIX

Manifesto in interpretando duplici loco S. Prosperi ep. ad S. Augustinum n. 8. et S. Augustini l. de Praed. SS. n. 27. falli putamus eos, qui Prosperum, quid de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita supernaturalia iuxta antecedentium Patrum doctrinam sentiendum sit, interrogasse putant, Augustinum vero huic interrogationi respondisse aiunt ita, ut illorum Patrum auctoritas quoad hoc doctrinae caput non parum elevari videatur: « nihil scilicet opus esse, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis (Pelagiana) oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari ». Nam et Prosperi interrogatio secundum principia semipelagiana intelligenda est, et difficilis ad solvendum quaestio, in qua vetustiores Patres non nisi obiter versatos esse ait Augustinus, plane ad aliud pertinet quam ad praedestinationem gloriae ante vel post praevisa merita supernaturalia.

LX

Ad ipsius Augustini doctrinam quod spectat, certum est, S. Doctori cum Pelagianis eorumque reliquiis certamen nullum fuisse de ordine inter praedestinationem gratiae et praedestinationem gloriae, sed controversiam fuisse sicut de donatione ita de praedestinatione gratiae, et gratiae simul ac

gloriae, exclusis meritis humanis, quibus vel gratia vel vita aeterna retribuatur. Praedestinatio igitur, « quam per Apostolos praedicatam contra novos haereticos operosius diligentiusque se defendisse, et cujus fidem numquam Ecclesiam Christi non habuisse » (1), Augustinus testatur, non est praedestinatio ad gloriam antecedens praevisionem meritorum supernaturalium.

LXI

In epistola S. Pauli ad Romanos ac nominatim in capite IX. nihil est, quod doctrinae de praedestinatione gloriae consequente praevisionem meriti supernaturalis adversetur. Scopus enim Apostoli et nexus cum tota tractatione dogmatica a I. 16. usque ad XI. 36. cuius hoc caput partem constituit, clare demonstrat, non de gratuita praedestinatione gloriae per sese spectatae sed de gratuita gratia adoptionis in populum electum N. T. et iustificationis in fide et per fidem Iesu Christi Paulo esse sermonem.

LXII

Paulus tota sectione IX. 6-29 de vocatione ad fidem et de iustificatione sub ea sola ratione agit, qua nullo iure vel sanguinis vel operum antecedentium est debita. De cooperatione autem cum gratia et sub gratia, quae requiratur ex parte hominis, hic non loquitur nisi incidenter v. 22. adeoque eam non excludit sed ab ea interim praescindit; disertius enim liberam cooperationem hominis et simul causam proximam, cur Deus voluntate consequente non misereatur eorum ad quos voluntate *antecedente* tota die expandit manus suas, Apostolus declarat in sequentibus IX. 30 — XI. 24. Cum igitur tria capita IX. X. XI. unum totum constituant, non poterant non errare et in haereses etiam manifestas in-

(1) De dono persev. c. 19. et 23.

ciderunt, ut antiquis Protestantibus contigit, qui in capite IX. seiunctim spectato totam voluntatis salvificae iustificationis et praedestinationis rationem explicatam reperire voluerunt.

LXIII

Incisa singula ceteris difficiliora capitis IX. ita explicanda esse defendimus: 1.° Non dicitur v. 13. Iacob esse dilectum et Esau odio habitum, antequam quidquam boni vel mali egissent, sed quod posteri Iacob gratuito electi sunt in populum Dei peculiarem prae posteris Esau, Apostolus ostendit ex historia utriusque populi, quae compendio comprehenditur in textu citato ex Mal. I. 3; 2.° Voluntas divina non miserendi Pharaonis sed eius punitione sese glorificandi v. 17. est voluntas consequens ad Pharaonis pervicaciam in peccato, ut manifesto patet collatis tum v. 22. tum potissimum Sap. capitibus XI. XII.; 3.° Induratio v. 18. non est ex antecedente Dei voluntate, sed consequitur culpa hominis occasione operum Dei contra voluntatem legislatoris, non tamen sine permissione Dei, quod ex modo ipso, quo in libro Exodi Pharaonis induratio narratur, clarum est; 4.° Scopus comparationis v. 20-22 non est illustratio modi, quo se habeat hominis voluntas sub operatione gratiae, sed declaratio quod sicut in massa luti nulla est exigentia postulans artem figuli, ita peccatori nullum ius est ad misericordiam, gratiam fidei, et iustificationis.

